

V c  
5045



h. 3



D. M. S.

PLANE INDICTIVUM FUNUS,  
**FUNUS ILLUSTRISSIMUM,**  
 SERENIS. *HEU QVONDAM! ET POTENTIS.*  
*NUNC VERO BEATIS.*  
 PRINCIPIS AC DOMINI,  
 DOMINI

**J**OH. **G**EORGII II.

DUCIS SAXON. JUL. CLIV. MONT.  
 S. R. I. PRÆTORIO PRÆFECTI  
 ET ELECTORIS,

ETC.  
 PATRIS PATRIÆ,  
 QVUM IN VIVIS ESSET,  
 PII, PACIFICI, MUNIFICI,  
 FREIBERGÆ HERMUND.

D. XXII. AUGUSTI ST. V. HORA VII. VESPERT.  
 ANNO MESS. cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup> LXXX.

REBUS HUMANIS,  
 POSTEAQUAM ILLIS ANNOS NONDUM LXIIX.  
 INTERFUISSET,

REMQUE PUBL. BENE GUBERNASSET ANNOS XXIV.  
 INTER PRECES ET LACRUMAS EXEMPTI,  
 DIE POST TRINITATIS FEST. DOMIN. XIIX.

H. E.  
 IPSIS EXEQVIARUM SOLEMNIBUS,  
 SOLEMNITER GORLICII LUSATORUM INDICIT,

AD  
 PANEGYRICUM FUNEBREM,  
 PERENDINO DIE BENEVOLE AUDIENDUM,

PERAMANTER SIMUL ET OFFICIOSE  
 AMPLISS. ORDINEM  
 CÆTEROSQVE LITERATOS OMNES INVITANS,  
 CHRISTIANUS FUNCCIUS,  
 AUG. GYMNASII GORL. RECT.

GORLICII,  
 TTPIS HEREDUM CHR. ZIPPERI.





Terrimis induiti pannis adeste, **Q**VIRITES!  
Adeste, **C**IVES, atrati omnes: atrati adeste sin-  
guli! Dejecto in terram, qui miserorum atq;  
lugentium est habitus, vultu adeste! Adeste, &  
vestra omnium ora salsissimis humectate la-  
crumis! Cœnatoriam firmate muta **L**USA-  
**T**IA! Scenicam viciniis muta **G**ORLICIUM!  
Laurum cupressis muta **C**URIA! Svarvisi-  
mos vocum & modulorum concentus planctu lamentisq; **T**EM-  
**P**LUM muta! **S**CHOLA muta! ECCE LETO DATUS NOSTER  
PRINCEPS EST. Leto **F**REIBERGÆ Hermundurorum Verissimus Pa-  
ter Patriæ datus est. Datus leto est **E**LECTOR SAXO, **J**O-  
**H**ANNES **G**EORGIUS II. Lectus ex ore spirantis jam  
tam spiritus: clausi oculi: conclamatum corpus: ablutum cali-  
da: unctum à pollinctoribus. Ad januam & ipsū collocatum postremam,  
facie pedibusq; in publicum versis, abitionem indicat. Indicit  
Præco: **E**XEQVIAS **D.** **J**OH. **G**EORGIO II. **Q**UIBUS EST  
COMMODUM IRE, JAM TEMPUS EST: OLLUS EX ÆDIBUS ECFERTUR.  
O autem funestam illam & illatabilem Augusti Diem: quæ spei  
nostræ Portū & Anchorā; quæ felicitatis nostræ Tutelam pariter ac  
Caput; quæ votorum nostrorum omniū Compendium ac Summā acer-  
bo nobis, h. e. crudo adhuc & immaturo, Funere subtraxit! Digna,  
me Deus amet, Dies hac: quæ atro carbone notetur: quæ, si liceat,  
eximatur, penitusq; Fastis deleatur! Dum verò planè Indictivum  
Funus hoc est: ejusdem quotquot lectum comitantur, siticines sunt:  
facem feralem alii Rogo inferant. Ardet jam Pyra: poscit Infe-  
rias. Huc ergo liquores pretiosos; huc aurum; huc arma; huc  
vestes; huc, quicquid pretiosi habetur, afferant. Rogant Manes:  
jubet, majora meritis, longè meritisimus Princeps. At verò quid  
Optimo pretiosius Principe? Nihil, ipsi novimus. Res tua tunc  
agitur: paries quum proximus ardet. Ardet proximus, ardet in  
obitu tanti Principis Ucalegon. Viciniam nostram dira ac dura  
urit Pests. Et tamen PAN noster mortuus? Imò mortuus:  
qui nobis post Deum OMNIA erat: in prosperis Solatium, in ad-  
versis Refugium qui erat. Major certè luctus hic: quàm quem  
Aula concludat. **P**RINCIPEM **T**UUM amisisti Misnia: ami-  
sisti Lusatia. Assume Misnia, quæ celebres, Mortualia! Repete quot-  
annis Lusatia, Principi tuo quæ facias, Justa. Utrumq; hoc Pietatis  
officiū est: est & utrumq; extremi honoris officium. At, plenum an-  
norum ac grandi natu Nostrum decessisse Principem, inquit non-  
nemo. Esto hoc: nunquam non tamen Optimorum Principum obi-  
tus intempestivi ac properi videntur venire. Quò plura enim ma-  
joraq; spirantes præstiterint; eò amariùs mortui avidiùsq; deside-  
rantur. Inde q; reapse mirum ne sit: si Principis senioris mors  
tanto omnibus est dolori. Sanè, si intelligerent Mortales, quantam  
pa-

paterentur jacturam, qui Principem senem, optimum tamen, ut NO-  
 STER erat, Principem amittunt, aliter sentirent. Nullum hi unquam  
 deplorandi illum lugendi, finem facerent. Equite moriente tor-  
 quato, moritur unus: unus etiam lugetur. Nobili scutato mortuo,  
 itidem lugebitur unus. Atq. Optimo moriente Principe, qui in sa-  
 lutem vivebat omnium, omnes moriuntur: proindeq. & omnibus  
 ejusmodi lugendum Funus. Sparta, Rege mortuo, per triduum ni-  
 hil vendebatur, forumq. paleis conspergebatur. Verissimo M. Aurelii  
 Filio, juvene licet, vita functo, Senatus Romanus aliquot dies  
 intra Capitolium se continebat. Non habet scilicet alium Res-  
 publ. Thesaurum Principe suo pretiosorem! Margaritam nobilio-  
 rem non habet Principe suo. Hunc, hunc amisisti Misnia: amisisti  
 Lusatia. Multa dico. Plura dicam: Suum ECCLESIA  
 EVANGELICA PATRONUM amisit: TUTOREM amisit:  
 NUTRICIUM amisit. Neq. enim NOSTER HIC unquam cum  
 Atheis ac Epicureis faciebat: ut veram & orthodoxam Religio-  
 nem parum curaret, eandemq. non nisi pro pallio Status haberet.  
 Constantinum potius, Justinianum, Carolum M. Ottonem I. aliosq.  
 sequebatur. Non minori illi sollicitudine Ecclesiastica, quam Ci-  
 vilia moderabantur: ipsi manus admovebant: aderant simul &  
 praeerant Sacris Episcopi supremi: nulli Romanensium Idolo teme-  
 re obnoxii. Pariter & NOSTRO PRINCIPI opus non infi-  
 mum Sacrorum recensio erat. Vigilantia & intentissima ei cura,  
 praeter Romano-Catholicorum opinionem, erat perpetuo: ne quid  
 veritatem sensus de DEO corrumpere: ne qua Sanctissimam  
 ac verè Catholicam nostram Relig. manu astute subverteret  
 perfidia. Supplicationes & preces publicas subinde instituebat.  
 Instituebat has difficillimi tempore belli: gravissima hoc tempore  
 pestis easdem instituebat. Ut ira Numinis mitigaretur: id fa-  
 ciebat. Faciebat id: simul ut suos efficeret pios, & semetipsum  
 exhiberet pium: quem alias libero etiam ingenuoq. affectu, affe-  
 ctu non nisi DEO aestimando, approbabat. O vivum, quum in  
 vivis esset, Pientissimi Principis exemplar! Plura dicerem. Di-  
 cerem de PACIFICO D. JOHANNIS GEORGII II. ANI-  
 MO: de MUNIFICENTIA tanti Principis dicerem. Sed pro-  
 hibet luctus: prohibent gemitus: prohibent lacruma. Dicentur  
 verò PANEGYRICO FUNEBRI reliqua. Dicentur,  
 inquam, & ita quidem dicentur: ut inter omnes, qui audient,  
 luculentissime constet, SERENISSIMUM NOSTRUM non tan-  
 tum PIENTISS. sed & PACIFICENTISS. nihiloq. minus MU-  
 NIFICENTISS. PATREM PATRIÆ fuisse. Vos Patres  
 Conscripti, Vos Literati Viri, quotquot estis, perendie Horà XII. au-  
 dituri adeste! Nec verò lugere interim Vestrum Praesidium de-  
 sistite. Omnes, omnes, docti & indocti, summi, imi, & medioximi,  
 pergite facere Inferias. Non lactis, non vini, non sanguinis af-

JK 5045

*fusionem, sed bonorum verborum affamine id hodie facere incipite. Quin  
antè, quàm domuitionem paratis, acclamate D. PRINCIPI:  
VALE, VALE, VALE! NOSTE ORDINE, QVO NATURA  
PERMISERIT, SEQUEMUR. Postremò, injectâ ter glebâ,  
Urnâ cassite tegite, marmoriq; inscribite hunc TITULUM!*

D. O. M. S.

SISTE. GRADUM. QVISQVIS. ES. VIATOR.

ET. LEGE.

LEGE. ET. STUPE.

H. S. E.

**ELECTOR - PHOENIX.**

QVI.

DEFUNCTI. SUI. ÆVI. CONSCIUS.

E. SUO. CINERE. RESEMINAVIT.

SEMETIPSUM.

**D. JOHANNES. GEORGIUS. II.**

ELECTOR - SAXO.

PATER. PATRIÆ.

PIUS. PACIFICUS. MUNIFICUS.

H. S. E.

QVI.

MAGNO. SAXONE.

**JOHANNE. GEORGIO. I.**

ELECTORE.

DRESDÆ. ANNO. CIO IOC. XIII. MENSE. MAJO.

SATUS.

NON. HERCULIS. EX. SE. SIDERE. GENUIT.

**JOHANNEM. GEORGIUM. III.**

ELECTOREM - SAX.

VIRTUTUM. AVITARUM. PATERNARUMQVE.

EX. ASSE. HÆREDEM.

SED.

INTER. MORTALES.

FREIBERGÆ. HERMUND.

MENSE. AUGUSTO. A. Æ. C. CIO IOC. LXXX.

LETO. DATUS. ESSE. DESIIT.

TU. QVISQVIS. ES.

DEFUNCTUM. IN. SUPERSTITE. MIRARE.

VEL. SI. MAVIS.

SUPERSTITEM. EX. DEFUNCTO. COGNOSCE.

TANTUM. EST.

ILICET.

me



Qvin  
CIPI:  
LIRA  
glebâ,  
M!

II.

T.  
III.

VE.

RE.

SCE.

ULB Halle

004 824 350

3



W 107







h. 3, 62.

Vc  
5045

D. M. S.  
PLANE INDICTIVUM FUNUS,  
**FUNUS ILLUSTRISSIMUM,**  
SERENIS. HEU OVONDAM! ET POTENTIS.

PRIN



JOH.

GII II.

DUCIS SAA  
S. R. I. PR  
ET

. MONT.  
ÆFECTI  
S,

P II, P  
FR

D. XXII. AUG  
AN

FICI,  
D.  
I. VESPERT.  
XX.

POSTEAQUAM

NDUM LXIIX.

REMQUE P  
INTER  
DIE POST 2

NNOS XXIV.  
EMPTI,  
DOMIN. XIIX.

IPSIS  
SOLEMNITER

NIBUS,  
RUM INDICIT;

PANEC  
PERENDING

EBREM,  
AUDIENDUM,  
ICIOSE

CÆTE  
CHR

EM  
INVITANS,  
CCIUS,

AUG. GYMNASII GORL. RECT.

GORLICII,  
TTPIS HEREDUM CHR. ZIPPERI.

